

## **Oratio inauguralis pro criticis / [Pieter Burman].**

### **Contributors**

Burmannus, Petrus, 1713-1778.

### **Publication/Creation**

Franeker : W. Coulon, 1736.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/a9d34d7z>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

PETRI BURMANNI  
FR. FIL. FR. NEP.

7

# ORATIO INAUGURALIS PRO CRITICIS.

DICTA PUBLICE  
IN TEMPLO ACADEMICO

A. D. XXII. Martii cl<sup>o</sup> Is cc xxxvi.

Quum Ordinariam Historiarum & Eloquentiae  
Professionem in Inlustri Frisiorum, quae  
Franequerae est, Academia sol-  
lemnni ritu auspicaretur.



F R A N E Q U E R A E,

---

Excudit GULIELMUS COULON, Illust. Frisiae Ordo,  
Academiac Typograph. Ordin. MDCCXXXVI.

PETRI RURMANI

LIBRARIUS

ОІТАЯ  
INAUGURALIS  
CEREMONIA

DICTATRIC

IN THEMPIO ACADEMICO

BY THE SAME OF THE UNIVERSITY

From Odisseum Historium ex Elodio  
Prologum in Latinum, donec  
Praedicta est. Accedit  
Item his supponit.



БАНГАРА

Ex eius CUI HERMIS CONVENTU, Hoc hunc quod  
Herculeum Thibetum. Quia, indecessum.

SERENISSIMO AC CELSISSIMO

PRINCIPI

GULIELMO CAROLO  
HENRICO FRISONI

DEI GRATIA ARAUSIONENSI  
ET NASSAVIO PRINCIPI.

COMITI CATTIMELIBOCORUM VIANDAE,  
DIETZAE, SPIEGELBERGAE, LIN-  
GAE, MEURSAE, &c. &c. &c.

GELRIAЕ, FRISIAЕ, GRONINGAE, AGRO-  
RUMQUE CIRCUMJACENTIUM NEC  
NON DRENTIAЕ GUBERNA-  
TORI ARMORUMQUE  
SUPREMO PRAE-  
FECTO.

ALMAE FRISIORUM ACADEMIAE CURA-  
TORI MAGNIFICENTISSIMO.

UT

*PER INLUSTRIBUS AC NOBILISSIMIS  
PRAE POTENTIUM  
FRISIAE ORDINUM  
DELEGATIS NOVEM VIRIS  
QUIQUE ILLIS AB ACTIS EST  
VIRO GRAVISSIMO.*

*NEC NON  
AMPLISSIMIS, NOBILISSIMIS, AC GENEROSIS  
ACADEMIAE FRISIORUM  
CURANDAE  
QUATUORVIRIS  
STRENUIS BONARUM ARTIUM AC  
LITERARUM CUSTODIBUS  
ET STATORIBUS*

*HANC ORATIONEM INAUGURALEM  
EO QUO PAR EST CULTU  
OMI ET OBSEQUIO*

*DICAT SACRATQUE*

*PETRUS BURMANNUS  
FR. FIL. FR. NEP.*



PETRI BURMANNI

FR. FIL. FR. NEP.

# ORATIO INAUGURALIS PRO CRITICIS.

Serenissime ac Celsissime Arausisionensium Princeps,  
Academiae hujus Curator Magnificentissime,  
bonarum artium Maecenas optime.

Generosissimi ac Nobilissimi Academiae hujus cu-  
randae Quatuorviri, veri Musarum Patroni.  
Magnifice Rector.

Celeberrimi quarumcumque Artium ac Discipli-  
narum Professores, Consortes operum ac Colle-  
gae Exoptatissimi.  
Inlustres ac praepotentes Friesiae Ordinum Delegati.

A

Am-

*Amplissimi Supremae Frisiorum Curiae Senatores.  
Quicumque avitis Nobilitatis imaginibus, vel ho-  
noratis in Republica dignitatibus conspicui estis,  
Viri Splendidissimi.*

*Spectatissimi Ciuitatis hujus Magistratus.*

*Divinae mentis Interpretes Sagacissimi, ac Vene-  
randi.*

*Lectores Eruditissimi.*

*Quarumvis artium Doctores peritissimi, ac Con-  
sultissimi.*

*Cives, Hospites, Advenae, quotquot ad sollem-  
nem hunc actum frequentes adestis, auditores  
gratissimi.*

*Tu denique Studiose juventutis lectissima Concio,  
Patriae & Ecclesiae seminarium, vota Paren-  
tum, prima cura ac voluptas nostra.*



*Nluxit ergo felicibus, ut vo-  
vemus, auspiciis pulcherri-  
mus ac diu exspectatus hic  
dies, quo coram frequenti  
ac splendido Inlustrium ac Doctorum  
Virorum coetu publice mihi verba faci-  
endi*

endi necessitas inposita est, ac sollempniori ritu Professionis hujus mihi demandatae ac susceptae provinciam publice auspicari adgredior, cuius tamen gravem & onerosam molem humeris meis injunctam si cum aetatis ac virium mearum infirmitate atque inbecillitate confero, & si cum Viri Eruditissimi ac Clarissimi, Decessoris mei, fama ac celebritate curtam meam supellectilem, ac tenues doctrinae copias compono, inconsultae non inmerito temeritatis me poenitere posset, qua tam lubenti ac prompta animi alacritate onus hoc suscipere ausus fui, atque ubi in occulto & abdito tutius faciliusque latere forte praestitisset, in publicam lucem prodire, ac famam periclitari decrevi. Fertur Romanorum Imperator Salvius Otho, cum ex privata vitae ratione ad publicae rei administrationem enectus esset, secumque adtento animo perpendisset, quam periculose plenum

opus aleae subiisset, & quam gravi curarum & sollicitudinum cumulo premeretur, exclamasse, *Num & mibi longis tibiis fuit canendum?* Idem illud dictum mihi, qui ex parvo quidem & exiguo, sed simul jucundissimo & amoenissimo Batavici agri angulo, ubi post deposita in Academiis tirocinia, privato sub Lare, non quidem inertis ac desidioso in otio, sed tranquillo ac literato secessu mihi Musisque meis vivebam, jam vero in publicum hoc bonarum artium theatrum, ac scientiarum & doctrinae emporium deferri me ac produci passus sum, non in merito quis in mentem revocaret. Cum enim in praeclaro hoc Studiorum mercatu a splendido illo doctrinae adparatu, ac copiosis & amplis satis Eruditionis mercibus, quas sedulae & cupidae Juventuti exponere par est, defici me probe intelligam, & cum ventosis Agyrtis ac circumforaneis praestit-

stigioribus, qui non solidas & utiles,  
sed speciosas tantum & fucatas copias  
incautis obtrudere amant emtoribus,  
nullum in hoc Palladis ac Musarum  
foro locum hic esse noverim, veren-  
dum mihi haud parum est, ut doctri-  
nae ac facundiae experimento, quod  
non tantum hodie frequens ille Infig-  
nium ac Clarissimorum Virorum con-  
fluxus desiderat, sed & exspectationi il-  
li, quam lectissimorum juvenum con-  
ventus quotidie in publicis ac privatis  
scholis de me concipit, satisfacturus sim.  
Verum dum jaeta semel haec alea est,  
& Rubiconem hunc transii, unde revo-  
cato cursu pedem referre, ac retror-  
sum vela dare salvo pudore non licet,  
acquiescam potius, Patres Academi-  
ci, in propenso illo ac benigno ve-  
strum de me studiisque meis judicio,  
quam ut pervulgata atque intempesti-  
va inbecillitatis ac tenuitatis confessio-  
ne inepte vos obtundam, dum de eo

securos vos esse velim, meque hac spe ipse confirmem, ut quidquid viribus, aetati, ac doctrinae deficiat, supple-tura id sit industria ac diligentia.

Sed dum proprius sollemnioris hujus actus celebritatem considero, & mente mecum reproto, quam ob causam cathe-dram hanc & pulpitum conscenderim, & quid vos inpulerit, ut ad augustum hoc, & studiis divinis atque humanis sacratum Acroaterium tanta frequentia convolareatis, animo magis conturbari ac confundi me experior, dum ad per-sonam illam, quam hac hora sustine-re cogor, perfectum & largo Eloquen-tiae flumine inundatum requiri Orato-rem bene conscient sum, satisque sen-tio ipse, & vos forte etiam percipitis, me nulla facundiae arte exercitatum, ac rudem in dicendo Tironem prodi-re. Quo accedit insuper, quod dum adtentius mecum materiarum, quae dignum mihi & adpositum ad instituti  
hu-

hujus rationem suppeditare possent argumentum, ubertatem recenseo, copia ac numero me magis obrutum quam adjutum, & quid rite mihi eligendum sumam, sollicitum atque animi dubium haerere me confiteor.

Solent autem plerumque multi ad dicendum processuri, pervulgato more studii illius ac doctrinae, quam profitentur, inaestimabilem praestantiam, & supra alias artes eminentem dignitatem, argutis & exquisitis verborum lenociniis praedicare atque extollere, & saepe etiam supercilioso satis fastidio aliarum scientiarum inutilitatem ac vilitatem traducere, & quasi ex alto eas ut inanes & infructuosas despicer, cum omnes omnino artes ac disciplinas communi quodam vinculo ac sororio quasi foedere inter se adstringi & colligari, & alteram haud raro in alterius commoda necessariam opem conferre, cordatores homines semper

professi sint : quin & suo etiam exemplo id luculenter illi demonstrarunt , dum ex severioris suae disciplinae , ac rigidioris Sophiae fastigio , leviores ac viliores illas artes , in quibus Grammatici ac Critici totum plerumque vitae curriculum conficere perhibentur , ut minores ancillas in ministerium operis & laboris minus gloriosi advocare saepe non dignati sunt , & frequenter etiam illarum disciplinarum ope & adjumento egregium sublimiori ac graviori scientiae suae decus & ornementum conciliarunt . Quamvis autem veteres & saepe repetitae Literatorum querelae sint , nullam fere inter omnes artes scientiam pluribus exagitatam conviciis , & morosiori depresso fuisse fastidio , quam Humanitatis ac Literarum studium , numquam tamen id efficere omni ope ac contentione potuerunt , ut maculam illam semel ordini suo inustam eluere , & abjectum  
de

de Literatoribus judicium , ac perver-  
sam de studii illius excellentia opini-  
onem ex animis hominum penitus e-  
vellere & eradicare potuerint , aut ex  
infimo illo loco , in quem ex regno ,  
quod antea occupaverant , detrusi ac  
deturbati fuerunt , caput efferre , & in  
principatum , quem soli olim diu tenuer-  
ant , erepere iterum valuerint. Non  
est mihi animus hodie A. H. totius Hu-  
maniorum Literarum disciplinae vindici-  
cias ac patrocinium suscipere , & Lin-  
guarum , Historiarum , Antiquitatum ,  
Eloquentiae , ac Poëtices praestantiam  
& utilitatem , & ex earum cognitio-  
ne redundantes ad graviores scientias  
fructus ambitiosa & operosa oratione  
contra iniquos & inperitos rerum ae-  
stimatores adserere , cum si omnes il-  
las partes pervagari , ac singularum de-  
cus propugnare copiosius instituerem ,  
dicendi terminum ac finem non inve-  
niret sermo . Solius igitur Criticae ac

Criticorum caussam hac hora acturus,  
artem illam ab injuriis , quibus nullo  
suo merito oppressa & infamata fuit,  
liberare pro virili conabor, ac verum  
Critici munus exponens , pretium e-  
jus solidum probare , & individuam  
illius cum reliquis scientiis cognatio-  
nem atque utilitatem adstruere stude-  
bo , ac vindicare a multorum super-  
cilio , quo despicere ac negligere hanc  
Divam solent alieni ab his sacris , aut  
qui solidiorem quasi doctrinam profi-  
tentes ex arce sublimioris Eruditionis  
ad humiliores illas sedes , & inferiora  
haec subsellia delabi , aut in orchestra  
theatri Doctorum sedentes ad infimam  
fordidae hujus plebis caveam descen-  
dere aversantur.

Verum dum id agere tento, A. H.  
vestra mihi prius concilianda est gra-  
tia , qua me dicentem sublevare ac  
linguis animisque favere vos par e-  
rit : Rogo itaque ut quodcumque fa-  
cun-

cundiae minus exercitatae deerit, & quidquid in hac oratione parum castigatum, aut lima adcuratori non sat is politum vobis adparebit, benevolo animo ac facili studio supplere dignemini. Deprecor autem, ne mihi, Criticorum cauissam modeste acturo, aures nimis criticas ac severas, sed benignas & placidas, praebeat; ac fidem meam vobis obstringo, me si forte pro argumenti dignitate atque umerate sermone parum elaborato uti videar, id orationis brevitate compensaturum, ac patientiae vestrae, viriumque mearum rationem habiturum.

Apud veteres in Graeca & Romana civitate literarum auctores & studiosos, Doctrinarum scientia, sive Polymathia, non tam angusto ac brevi includebatur gyro, quam quidem posteriori & hodierna aetate per inertiam coerceri solet. Sed in omnibus liberalibus disciplinis ac quocumque stu-

diorum genere versabatur, ac duabus  
praecipue linguis, Graeca & Romana,  
veluti involucris tegebatur. Ea aeta-  
te nemo ad Philosophiae, quae omni-  
um scientiarum summam tunc comple-  
ctebatur, doctrinam properabat, aut  
ad Epicuri hortos vel Socraticam do-  
mum se transferebat, nisi antea dili-  
gentem in utriusque linguae auctori-  
bus posuisset operam, & in Gramma-  
ticis ac Rheticis studiis naviter de-  
sudasset. Percepta mox Philosophia,  
alii certae se tradebant disciplinae,  
eamque solam profitebantur, nonnulli  
vero varietate ac diversitate scientia-  
rum capti, in late patenti studiorum  
campo nullis circumscripti spatiis libe-  
re vagabantur, & cum omnes artes  
ac doctrinas perlustrarent, omnesque  
auctores nullo habito discrimine lege-  
rent, Grammatici inde praecipue dicti  
fuerunt, quia tamquam periti Censfo-  
res notabant malorum scriptorum vitia,

foe-

foetus spuriros ac supposititios a veris & genuinis distinguebant, & vindicabant; loca auctorum veterum obscura & perplexa tam in Philosophis, quam Poëtis & Oratoribus inlustrabant & explanabant, denique ad Bibliothecas libris undique conquisitis instruendas a Regibus ac Principibus adhibebantur. Cum vero Grammatici tam late extenderent regni sui fines, ut omne Scriptorum genus pervagarentur, ac Poetas, Historicos, Oratores, Philosophos, Medicos & Jureconsultos excuterent atque enarrarent, tantum auctoritatis apud antiquos hic ordo olim obtinuit, ut omnium scriptorum judices ac censores soli essent Grammatici, quos ob id non alio quam Eruditionis ac judicii nomine Criticos vocaverunt. Hi vero in legendis & excutiendis veterum Auctorum monumentis tam severe judicio suo usi sunt, ut, quemadmodum Quintilia-

nus tradit) non versus modo censoria quadam virgula notare, & libros qui falso viderentur inscripti, tamquam subditios submovere familia sibi permiserint, sed & auctores alios in ordinem redegerint, alios omnino Scriptorum numero exemerint.

Cum vero Critica, praecipua Grammaticae pars, circa tria potissimum versetur, nempe circa obscurorum illustrationem, sanorum locorum pro affectis & male habitis probationem, tum circa genuinorum scriptorum a spuriis distinctionem, ultima haec pars, quae consistit in discernendo scripta vera & germana ab adulterinis, primam Criticae videtur dedisse originem, quae ars vix in usu fuit, antequam corrupti coeperunt veterum librorum tituli, & falsi ac monstrofi foetus pro legitimis suppositi sunt. Ante tempora enim Regum Alexandriae & Pergami nullum opus fere adul-

dulteratum aut falso inscriptum erat, sed cum illorum praecipue aetate multi undique conquererentur libri, & maximo ardore ac summo pretio colligerentur antiquissimorum auctorum volumina ad instruendas & exornandas insignes Bibliothecas, lucrpetarum avaritia, & librariorum non nisi auro inhiantium fraudes, novos ac recentes scriptores mutata epigraphe pro veteribus venditaverunt, ut scilicet libri illi antiquitatis veneratione eo carius venirent, eodem plane fuco, quo subdoli artifices, ut operibus magis conciliarent pretium, suo marmori adscribebant Praxitelem, aut trito argento Myronem. Ad has autem fraudes detegendas, & a genuinis scriptis falsa & adulterata dijudicanda Critici eo tempore primum omnem adhibuerunt industriam, interque eos tunc praecipue hac in parte versati fuerunt Aristoteles, (quem primum Critices

auctorem facit Chrysostomus) Eratosthenes, Aristophanes, Apollodorus Cumaeus, Dionysius Halicarnassensis, aliquie.

Verum non tantum in titulis librorum corrumpendis pudorem transgressi sunt avari illi ac fraudulenti nebulae, sed & tota nobilium Auctorum scripta aut dolo malo inverterunt, vel si qua mutila ac negligenter habita reperissent, inconsulte ac temere ex arbitrio suo suppleverunt. Hujus rei cum innumera in antiquitate supersint vestigia, unum prae ceteris luculentum est exemplum in Apelliconte Teio, qui cum Aristotelis scripta a Nelei Scepsii posteris metu Attalicorum Regum terrae diu infossa & occultata, ac carie jam paene erosa, sibi ingenti pecuniae vi comparasset, quaecumque in iis lacera, corrupta, ac mutila invenit, confidenter pro lubitu supplevit, & multis mendis in-

inquinavit: unde factum est, ut non tantum plurima in Aristotele corrupta fuerint, sed multa quoque aliena ac falsa ipsi adtributa, immo & integra aliorum opera ipsi adscripta sint, qui fucus praecipue natus fuit ex nominis similitudine, per quam factum est ut & aliis eximiis Scriptoribus non pauca supposititia fuerint adjudicata: unde Criticorum sollertia, quae prius maxime occupata erat in probatione legitimorum & inlegitimorum foetuum, tunc praecipue vagari coepit circa distinctionem Auctorum, qui eodem saepe nomine insignes floruerunt, ut vero & non fucato auctori restituerent ea, quae alii temere sibi vindicaverant, & ut quaecumque vel inepta vel eximiis Scriptoribus indigna inmeritum inter eorum opera locum occupaverant, inde exulare juberent, & ad pristinum dominum pedem referre. Hac in parte industriam suam praecipue

cipue tunc exercuerunt Demetrius  
Magnesius, Simarestus, Dionysius Si-  
nopensis, Artempo Cassandreus, &  
multi alii.

Ita adhibita iudicij norma egregi-  
am antiquis monumentis operam prae-  
sttit Critice, dum justos foetus veris  
parentibus adseruit, aut inlegitimos vel  
monstroso abortus tollere vetuit, &  
alienae reliquit adoptioni. Quam mul-  
tis Aristotelis libris natalium contro-  
versia fit mota, constat satis ex vete-  
ribus Grammaticis. Quis Ethica ejus  
filio Nicomacho adtribuenda esse sci-  
ret, nisi id docuisset Cicero? Quis  
scripta ejus de Rhetorica, de mundo,  
aliaque non pauca dubios habere au-  
tores cognovisset, nisi divinae Cri-  
ticae auxilio id nobis innotuisset? Quis  
Platonis Axiochum Aeschini Socratico  
adscribendum didicisset, nisi id Suidas  
aliique Grammatici tradidissent? Quis  
multa Hippocratis scripta falso ejus no-  
men

men praeferre rescivisset, nisi id monitum esset a Galeno? Et hoc quidem in studio in primis inmoratus fuit Criticorum labor, qui distinguendis & secerendis antiquorum & recentiorum operibus praecipue operam dederunt.

Ex his autem ultro vobis, A. H. patere arbitror, ad primam hanc Critices partem requiri virum non levi aut perfunctoria eruditione tintatum, & qui, tamquam festinans canis e Nilo, quaedam hic & illic velut in transcurso ex doctrinae fontibus delibaverit, sed qui ex diligent & sedula omnium fere veterum Auctorum perlectione solidam eorum adquisivit notitiam, ac Iudicii ope sermonis characterem, dicendi modum, stylum, ceterasque in iis dotes probe notare, & quid ab ipsa Scriptoris manu profectum, aut ab otio abutentibus & sibi sapere visis sciolis insertum & admixtum sit, discernere valeat.

Deinde vero arto hoc includi spatio non contenta Critice latius coepit vagari, nam cum olim aequa ut hodie libri ab inperitis & rudibus scribis inemendate ac vitiose admodum exararentur, fieri aliter non potuit, quin ex corrupta & parum adcurata scriptura innumeri in optimis Aucttoribus nati fuerint errores: Hinc Critici modum ac rationem circumspicere & indagare coeperunt, qua non tantum obscura & intricata inlustrarent atque enarrarent, sed & inemendata & vitiosa loca castigarent, & integritati suae restituissent. In hoc autem genere inter veteres maxime claruerunt Aristarchus, Cassander Macedo, Callimachus, Apollonius Rhodius, Didymus, Asclepiades Myrleanus, Dionysius Longinus, & similes numero non pauci. Apud Romanos in idem studii curriculum descenderunt praecipue Varro, Crates Mallotes, Valerius Probus, L. Crassitus,

situs, Caecilius Epirota, Nigidius Figulus, Asconius, Gellius, & plures alii, quos recensere supersedeo. Quin & ipse etiam Cicero, quamvis summus orator & vir consularis, nihilo minus tamen Grammatici seu Critici partibus functus, Lucretii poëma emendare non dubitavit; similiter ut Varro, Togatorum ille doctissimus, tanta diligentia Plautinas Comoedias recensuisse dicitur, ut ex centum & triginta fabulis, quae Plauto adscribentur, unam & viginti tantum genuinas probaret, quae inde a veteribus Varronianaæ dictæ sunt.

Tanto deinde in honore præstantissima haec ars habita fuit, ut multi viri inlustres ac celebres in ea excolenda inter se aemulati fuerint: Ab eo enim tempore usque ad Romani regni cum Literis eversionem, quando arresto ac dilacerato ab incultis & efferis gentibus imperio, Barbaries dominari

coepit, nulla aetas, aut nullum fere seculum praeterlapsum est, quo non floruerint semper quidam e Criticorum filiis: verum cum Langobardi, Gothi, Visigothi, aliaeque barbarae nationes, in Italiā inrumpentes, omnia ferro ac praedationibus vastarent, Musae etiam in exilium actae sunt, & literarum lux densissima ignorantiae caligine oppressa jacuit, ac miserabiles bonarum artium reliquiae penitus exspiraverunt. Eo tempore optimi antiqui aevi Scriptores locū cedere cogebantur nugacibus barbarorum libellis, & pro exquisitissimis ac delicatis aureae aetatis lautitiis in honore habebantur plebeiae & sordidae panis atrí reliquiae, ac divinis veterum scriptis & ingenii monumentis præferebantur insulsa Monachorum, ventris obesi sagina inflatorum, somnia; donec tandem ex spissis illis inficitiae tenebris primus caput extulit Franciscus

Pe-

Petrarcha , qui in obscura hac ignorantiae nocte facem praeferre ausus , viam iterum ad antiquas elegantias aperuit , cujus vestigiis insistentes deinde Johannes Jovianus Pontanus , Laurentius Valla , Sannazarus , aliquie , signa iterum sustulerunt ad bene omninandum de restituendis literis , ac Muisis a fuga in pristinam sedem revocandis . Tunc renascentibus literis , & superiorum seculorum discussa barbarie , cum intermortuae ac sepultae ferre liberales artes in Italia iterum essent excitatae , Critica etiam , utpote quae ars viam sternere debebat ad veras scientias recte & solide adquirendas , caput iterum paullatim exseruit , & maxime excrevit . In Italia enim , ubi perdomita Barbarie , elegantioris Eruditionis cultura rursum agresti Latio intulerat bonas artes ac doctrinas , primi tum Politianus ac Beroaldus cogitare coeperunt de modo , quo ani-

mam aegre trahentibus prisci aevi Au-  
ctoribus vitam redonarent : quibus  
deinde majoribus copiis succreverunt,  
**Victorius, Manutius, Sigonius, Pie-**  
**rius Valerianus, Ursinus, & deinceps**  
undique ex aliis Europae partibus eti-  
am in Italiā confluentes, Muretus,  
Antonius Augustinus, & longo ordi-  
ne plures alii. Mox etiam studii hu-  
jus incrementa ulterius coeperunt se  
extendere, & non tantum in Germa-  
nia exorti in commune bonum fuerunt  
**Camerarii, Rhenani, Fabri, Gruteri,**  
& similes multi, verum & Gallia pro-  
ventu maximorum in hac arte Hero-  
um feracissima fuit, cui Scaligeros,  
Turnebos, Casaubonos, Salmasios,  
Budaeos, Pithoeos, Sirmondos, Ju-  
retos, & quos longa referre mora est,  
acceptos referre debemus. Nec mi-  
nor etiam in Belgio viguit copia illo-  
rum, qui Criticam artem ad fastigium  
illud, quo jam adscendit, evexerunt,  
quo

quo in labore ante alios desudarunt Erasmi, Junii, Canteri, Douzae, Lipsii, Grotii, Heinsii, & praecipue in hac studiorum parte incomparabile par Joh. Fred. Gronovius, & Joh. Georg. Graevius, quibus ut aetate ita & meritis aequalis, suo jure adnumerandus est, hujus quondam Academiae eximum decus, Jacobus Perizonius, & denique caeteri omnes, qui signa illorum secuti felicissimam ac salutarem prisca aevi reliquiis operam collocaverunt.

Habetis, Auditores, quasi in tabula eximiae hujus artis ac doctrinae originem, fata, & progressum. Ex his autem aequis & peritis rerum arbitris patere opinor, scientiam hanc non jejunam adeo & levem, ut multis visa est, neque tantum in syllabis & apicibus literarum excutiendis inglorio labore occupatam esse, & nihil cum gravioribus illis & sublimioribus disci-

plinis commune habere, ut rigidi non-nulli Censores pronuntiant, qui studium hoc ut inane traducunt, & ita se **Criticorum Criticos** profitentur. Id sane praecipue dignitatem & utilitatem Critices adstruit ac confirmat, quod a tot retro elapsis seculis tam illustres & eximii Viri, rejecta & explosa vulgi opinione, in eam tam indefesso labore incubuerint, artemque hanc ut omnium Scientiarum solidum fundamentum, & quasi Encyclopaediam aestimaverint, & omne quod sine eo struitur atque erigitur, necessario ruere aut vacillare experti sint.

Et sane nullam cujuscumque generis aut studii doctrinam esse, quae ab hac arte non tantum non contemnendam, sed & necessariam opem ac lucem foeneretur, neminem arbitror, tam perversi judicii esse, qui id inficietur. Ad sacras enim quod adtinet Literas, quas ab imperitis & oscitantibus librariis aequa ut  
-ilq  
alios

alios Auctores descriptas, ac proinde non minus a labo inemendatae scripturae, & vitiis aberrantis calami immunes fuisse nemo non cordatior adgnoscere debet; quin prudens ac cauta Critici manus multum conferre possit, in dubium vocari nequit, modo reverentiae debitae rationem habeat, & prudentiae terminos non excedat, neque pro arbitrio in eas graffetur. Id vero qui concedere aversantur, dicam etiam scribant antiquis Patribus, & temeritatis incusent veteres illos rei Christianae Scriptores, quibuscum in gratiam redire numquam poterunt illi, qui studia haec non tantum ut minus necessaria criminantur, sed nec ullum in Sacris adsignari iis locum volunt. Quid ergo dicendum erit de antiquis illis Masorethis, qui stupenda diligentia id unice efficere conati fuerunt, ut sacro textui sepem circumdarent, eique naevos & men-

das atque incertas lectiones, qua possent sagacitate, eximerent atque abstergerent. Quid de labore, & industria Origenis statuendum erit, quem in sacris paginis varias scripturas asteriscis & obeliscis, instar Aristarchi, non tantum adcuratissime distinxisse, sed & in Criticen adeo incubuisse tradunt Veteres, ut solis Literarum studiis, ac conferendis exemplaribus intentus, neque prandendi, neque deambulandi fere otium ab hoc labore reliquum sibi indulserit. Quid de Hieronymo judicandum erit, qui diligenzia & labore Origenis ita usus est, ut in Commentariis suis ubique fere de varietate lectionum & diversitate interpretationum disputet? Quid denique, ut innumeros alias praetermittam, Augustino fiet, qui ubi aliquid in sacris literis veritati contrarium invenit, aut mendoſos esse codices, vel interpretes sensum verborum

asb

non

non adsecutos pronuntiare ut Criticus  
non dubitat? Quid ergo dicemus? an temeritatis parum verecundae dam-  
nabimus sanctos illos Viros, an potius  
credemus persuasum illis fuisse, librari-  
os in describendis sacris codicibus,  
quantumvis diligenti ac sedula cura ad-  
hibita, aequa ut nunc obnoxios fuisse  
depravationibus, eamdemque hic ob-  
tigisse fortunam, quam & alii Scripto-  
res experti sunt, quod si negandum  
contendamus, inusitato miraculo ma-  
nus eorum ita directas fuisse, ut ne  
in minimis aberrare potuerint, dicere  
necessa habemus. Quis autem Scri-  
ptorum veterum querelas de codicibus  
jam antiquissima aetate corruptis & vi-  
tiatis ignorat, cum scribae illi omni-  
um rerum inperiti exarandis exem-  
plaribus operas mercenarias vel voce  
vel calamo locabant, ideoque esuri-  
entes in labore illo taedioso plerum-  
que festinabant, ut eo citius pretio

potirentur, & si quos commiserant errores, eos tamen non mutabant, ne scilicet ob vitiorum deformitatem pretio operis aliquid decederet.

Cum autem post tot elapsa ab ipsis veteribus secula judicio ac labore Critorum continuo opus fuerit in iis, quae vel per scribarum incuriam & inertiam, vel temporis vetustatem depravata aut obsoleta erant, in integrum restituendis, ac pristino nitori vindicandis, quam obstinata igitur perversitas est, Criticam emendationem a scriptis antiquorum Auctorum, quorum exemplaria tanto annorum spatio tam diversorum deinde librarium manus subierunt, prorsus excludere, & Critorum follertia non in omne Scriptorum genus admittere? Largendum tamen id est, ac candide concedendum, intra certos terminos hic consistendum, neque cuivis in omnibus quidvis impune licere. Quamvis

enim in sacris paginis praestet loca aperete vitiosa, & veritati vel fidei Historiae contraria, revocatâ vera & antiqua scriptione sanare, & in descriptorum inscitiam depravationis culpam potius conferre, quam absonis & contortis interpretationibus receptaæ semel semel lectioni mordicus adhaerere, non tamen ideo sine discrimine in omnia loca, quae vel inquinata ac luxata, vel turbata & obscura primo intuitu videntur, statim falcam Criticam esse inmittendam, & perinde ut in profanis Scriptoribus ubivis pro lubitu medicinam esse adhibendam, aut conjecturas vel diversas lectiones temere intrudendas esse, sedulo cavendum est.

Arti autem Medicae quantum contulerit Critice, ut alia omittam, vel unus testis sufficiat magnus ille Claudius Galenus, quo nemo antiquorum fere plura in Grammatica ac reliquis

disciplinis reliquit, & qui in Hippocrate innumera recensuit, atque emendavit, & contra veteres ejus Interpretates multa transposuit & inmutavit, ac divini illius Scriptoris libros spurios a legitimis disjunxit, ut opera ejus eximia abunde fidem faciunt.

De Jurisprudentia autem quid dicam, a qua Criticas manus penitus abstinentias, & potius receptas lectiones, licet nullus in iis commodus sit sensus, quavis ratione & interpretatione quantumvis absurdā tuendas, multos esse fateor qui imperent, & Quiritium fidem implorent, si in libris Ictorum veterum locis depravatis adhibetur Crisis, etiamsi verosimilis & oportuna. Hinc & illos, quos tale ingenium adeo perversos agit, non raro videmus ad extrema quaecumque delabi, & ita, quoniam vel aciem illam felicioris iudicii sibi deesse dolent, aut pulcherrimae illius artis elegantias adsequi se posse

posse desperant, quavis non data tan-  
tum sed captata occasione omnem ad-  
spernari Crisini, & fastidioso etiam su-  
percilio Criticos generatim lacessere  
ac proscindere. Hoc vero male eos  
habere certum est, quod Cujacios,  
Hotomannos, Budaeos, & similes He-  
roas, ac nostra quoque aetate Nood-  
tios, Schultingios, & Bynkershoeki-  
os, ideo famae inmortalitatem ade-  
ptos esse vident, quoniam his Sospi-  
tatoribus multa in Digestis feliciter cu-  
rata sunt, hinc studio ab eximiis illis  
Viris in contraria omnia eundi, & in-  
de scilicet inclarescendi, longe aliam  
viam ingredi malunt, quam vestigiis  
certissimorum illorum Ducum insiste-  
re, & frugibus jam inventis glande  
adhuc pasci amant. Quamvis autem  
non tantum in omnibus cujuscumque  
generis Scriptoribus non minus quam  
in libris Jurisconsultorum multi indo-  
eti, & ab humanitatis studiis nudi

Critici, omnem modum excedentes, pudorem praetergressi sint, adeo ut ipsi illi Critici, egregia sua arte turpiter abusi, urendo, secando, & scindendo plura forte vulnera & cicatrices antiquis intulerint Auctoribus, quam exemerint, nec a veterum scriptis lacerandis & excarnificandis violentas manus continuerint, ideo tamen verae ac sincerae Critics usum & praeftantiam rejicere, quanta, quaeso, invidia est? Si quoniam multi abusu illo intra terminos consistere nequivierunt, & in illis, quae nihil mali aut luxati habebant, vexandis ac corrumpendis modum non servaverunt, ideo totam artem Criticam, ut doctrinis noxiā & procul habendam, pronunciamus, videndum est ne similes evadamus iis, qui, ut Horatius ait, dum fugiunt vitia, in contraria currunt. An ergo similiter, quaecumque per se bonaे sunt frugis, & egregium mortalibus  
prae-

praestant usum, quoniam humanae naturae perversitas omnia, quamvis prae-clara & eximia, saepe corrumpere & deturpare solet, ideo omni usu erunt eximenda? Id si concedamus, interdicatur ergo & omnibus, praecipue vero his Censoribus, igni & aqua, quae duo Elementa licet adeo necessaria, ut in iis tota ferme hominum vita constet, nonnulli tamen in tam nefarium converterunt usum, ut sae-pe integras iis vastaverint ac deleverint regiones.

Omnibus denique vetustaë aetatis Scriptoribus, Historicis, Oratoribus, ac Poëtis, quibus omnis doctrina & eruditio continetur, cum ex misero antiquitatis naufragio tamquam lace-rae tabulae ad nos enataverint, & ex ea calamitate spoliati, aegri, ac vix spirantes ad posteritatem pervernerint, unica Critica non tantum necessariam medicinam, sed & vi-

tam ac splendorem iterum reddidit & conciliavit. Si enim Scriptorum veterum Editiones, quae initio renascientium Literarum, & sub ipsis artis Typographicae incunabulis emissae sunt, conferamus cum iis, quibus deinceps Scaligeri, Manutii, Victorii, Casauboni, Salmasii, ac praesertim Heinsii, Gronovii, & Graevii, salutares manus admoverunt, tantum inter eas discriminis nemo non adgnoscet, quantum inter se juvenilis formae venustas ac flos, & decrepitae ac rugosae anus deformitas ac turpitudo distant; adeo ut qui post tantam Literarum lucem, quae ex densa ignorantiae caligine emicuit, adhuc somniare, neque tot annorum crapulam edormire hactenus potuerunt vel noluerunt, torpore illo ac veterno potius emarcescere, & infortunato suo genio relinqu debeat.

Gratulandum interim nobis de felicitate seculi nostri, ac beato Literarum

no-

nostrarum statu, quae ope & auspi-  
ciis praestantissorum illorum Heroum  
tandem de Barbarie triumphum ege-  
runt, quorum vestigia si deinceps pre-  
mere nitatur studiosa Juventus, spes  
est ut bonarum Artium cultura a po-  
steritate magis ac magis producatur,  
& tandem ad summum ac perfectum  
doctrinae culmen evehatur.

Verum operosiori sermone apud do-  
ctos & peritos auditores Critices cau-  
sam agendam vix arbitror, cum si om-  
nia, quae ad hoc argumentum non  
exigua copia adferri prolixius possent,  
ulterius persequi vellem, modum di-  
cendi excederet haec mea Oratio, ac  
metam fibi propositam nimio forsan  
post tergum relinqueret intervallo.  
Quare cum & aliud insuper, quod  
hic agam, mihi restet, conferam me  
potius ad Eos, quos indictos prae-  
terire diei hujus sollemnitas me ve-  
tat.

K

Qui-

Quibus autem verbis, ac quo sermonis cultu Te, Generosissime ac Celfissime ARAUSIONENSIMUM PRINCEPS, inlustri praesentia Tua hunc actum decorare dignatum, adloquar, cuius propenso favori ac benevolo de me testimonio praecipue mihi delatam esse hanc stationem, publice gratissimus acceptum refero? Gratulor mihi non tantum, sed & felicem me praedico, quod hac sollemnitate oportuna mihi offeratur occasio, sincerum meum erga Te obsequium, ac devotum pro ingenti hoc beneficio animum coram tot testibus declarandi. Tui enim muneris esse, quod Spartae huic honoratissimae in celebri hoc Palladio tam luculentum ac personae Tuae convenientem in modum fuerim admotus, adgnosco, & dum inter mortales numerabor, adgnoscam, ac praedicabo, Te mihi rebusque meis tamquam Deum e machina adparuisse, ac fortunae meae animo modo-

modoque Principe verè digno consu-  
luisse. Non operose hic in virtutum  
Tuarum laudes exspatiando pudori Tuō  
vim faciam, cum frontem illam Tibi  
non esse probe sciam, ut aures Tibi  
praesenti multis, licet meritissimis,  
obtundi encomiis patienter feras, ne-  
que ea etiam dicendi mihi vis est, ut  
eximias & non vulgares animi tui do-  
tes exili ac tenui hoc sermone adse-  
qui possim, cum potius earum magni-  
tudinem deprimerem, quam rite effer-  
rem. Id unum tamen hic addi a me  
ne aegre feras, Optime ac Serenissime  
**PRINCEPS**, me felicem ac fortunatam  
praedicare hanc nostram Academiam,  
quod retrolabentibus bonarum Artium  
studiis, ac de fuga fere cogitantibus  
Musis, Te Maecenatem, Eruditioni ac  
Viris doctis egregie patrocinantem,  
& Literarum eximum, ac raro exem-  
plo peritissimum, custodem nacta sit.  
Quanta enim religione a primis annis

Palladis ac Musarum sacris operatus  
fueris, Tuoque inlustri exemplo alios  
itidem Viros insignes ad rectum illud  
verae gloriae per liberalioris Doctrinae  
studia iter concitaveris, testatur prae-  
cipue haec nostra Academia, in qua  
ab egregiis & singulari eruditione con-  
spicuis Viris formatus, tanta ingenii,  
industriae, ac scientiae specimina om-  
nibus probasti, ut quicumque non ira-  
ta Minerva nati justum literis pretium  
ponere norunt, Te non tantum bona-  
rum Artium strenuum cultorem, sed  
& Eruditionis ac Virorum Doctorum  
eximum Fautorem, jure ac merito su-  
spicere non destiterint. Musae sane  
nostrae, quibus ab excelsa Tua digni-  
tate tantum accessit splendoris & or-  
namenti, non alios sibi laetiores & can-  
diores inluxisse dies gaudent, quam  
quibus in contubernium tuum tam be-  
nigne ac comiter admissae, placidum  
deinde ac liberale hospitium semper  
apud

apud Te invenerunt. Quantis insuper beneficiis, & quam promta ac prolixa gratia Viros Eruditos fovere ac prosequi semper dignatus sis, grati adgnoscunt omnes illi , qui maximum sibi praesidium ac decus in Te constitutum experiuntur , & ob felicitatem hujus tam beati seculi laetitia exsultant , ac gaudio triumphant, quod Tanti Principis patrocinio tuni, Literarum honorem ac Musarum gloriam fortiter vindicare , & strenue adserere possint , neque alios lucubrationum suarum fructus percipere gestiunt , quam si Tibi labores suos placere gloriari possint. Ad me quod adtinet , Serenissime PRINCEPS, magnis me nominibus tibi obstrictum & devinctum adgnosco pro insolito & insperato illo favore , quo tam generosum in modum me quoque inter eos adsciscere non gravatus es , quos insigni magnanimae tuae indolis beneficio cumulare & ornare dignaris.

Ejus autem memoria ne umquam animo meo effluat, efficiam sedulo, & dum majus mihi desit quod benevolentiae Tuae reponam, ita saltem ei respondere conabor, ne umquam haec Academia aliquid per me detrimenti capiat, sed quantum in me erit, splendorem & gloriam hujus Lycei cum operis consortibus promovere, ac studiosae juventutis commodis unice consultum velle, serio adfirmo: denique & ad summum Numen vota pro salute Tua suscipere non desinam, ut Populo Tuo & Academiae nostrae diu laetus ac felix intersis, & non nisi serus in coelum redeas.

Ad vos autem, Inlustrissimi ac Nobilissimi Academiae hujus Patres & Curatores, ultro Oratione mea accedo, qua licet persequi & ex aequo efferre, quantum vobis me debere sentiam, imparem me omnino esse concedam, conabor tamen animi mei vobis

vobis devotissimi sinceritatem non fucato aut insidioso blanditiarum pigmento, sed vero ac candido sermone probare, & pro singulari illo, quo me vobis devincire voluistis, beneficio nuda quidem verba, sed certa tamen & indubia gratae mentis pignora, redere tentabo. Vestræ enim benevolentiae acceptum refero, quod Praepotentibus Ordinum Frisiae Delegatis de nota meliore commendatus, ad Cathedram hanc, quam teneo, adscendere mihi contigerit; Vestræ suffragationi unice me debere fateor, quod fortunatus & candidus ille mihi inluxerit dies, quo me in tali statione possum ac locatum esse exultare contigit, in qua Literarum studiis, ac dulcibus ante omnia Musis, quibus a puero me consecraveram, deinceps totum me devovere, & in iis omne viuae tempus conficere dabitur. Felicitatis igitur non exiguae culmen me

adtigisse censeo, quod bonarum artium studia Vestra ope tam beatam mihi vivendi ministraverint rationem, qua mihi, ab omni ambitione ac presentatione remoto, in hunc dulcissimae tranquillitatis portum delabi, & in negotio aliquo sine periculo, & in otio cum aliqua dignitate vitae cursum tenere conceditur. Verum ubi adtentius provinciae hujus mihi inpositae difficultatem, Literarumque, ad quas docendas a Vobis tam benigne evocatus sum, varietatem & magnitudinem circumspicio, & Clarissimi Viri PETRI WESSELINGII, Decessoris mei, eruditionem ac merita considero, vereor sane, ne Vos, Amplissimi Patres, prolixo nimis de industria mea judicii, & benignioris de studiis meis suffragii forte poeniteat, praesertim si ad haec omnia doctrinae meae penuriam, & praecipue juventutis meae inbecillitatem componatis. Ea tamen ipse animum

mum meum justo hoc timore perculsum erigo ac confirmo , quod certo mihi persuasum sit, Vos a Juvene non expectare aut exigere illam doctrinae , quam Viri longo usu exercitati sibi comparaverunt , copiam & ubertatem ; satis enim exploratum habeo , si diligentiam , & adsiduum ad promovenda studiosae Juventutis commoda sedulitatem vobis exhibere & probare possim , me desideriis Vestris satisfacturum , ac Vestram de me eximationem non omnino irritam redditurum. Id vero ut praestare possim , me omni ope ac contentione adnistrum , Batava fide ac simplicitate vobis promitto & adfirmo.

Vos modo , Inlustres ac Generosi Literarum Maecenates , favore ac benevolentia vestra animos mihi ad bene de Academia Vestra merendum suffcite , meque inter illos , quos patrocinio vestro fovere , & ad egregia fa-

cinora excitare dignamini, haud gravatim, quaeſo, recipite: Et quoniam in Patria ac terra illa, quae Majorum meorum cineres & ossa servat, fatis iniquis agitato jam vivere non liceat, eo lubentius, precor, me numero civium atque incolarum vestrorum inserite. Ita Frisia vestra mihi placeat & adrideat, ut amoenissimae Hollandiae meae desiderium, cuius recordatione ſaepius conturbari me fateor, experientia benignitatis vestræ emolliatur, & animo excidat, ita ut non ex natali solo videar mihi migrasse in peregrinam terram, sed patriæ novam hic, ubi mihi bene eſt, reperiffe imaginem ſentiam. Deum precor, Nobilissimi & Amplissimi Patres, ut longa annorum ſerie vos salvos & incolumes ſupereſſe jubeat, ut Patriae, Academiae, ac Literarum nostrarum ſaluti diu bene conſulere, & ſicuti facitis, strenue porro commodis publicis infervire poſſitis.

Vos

Vos autem , Celeberrimi Professo-  
res, cujuscumque Doctrinae laude cen-  
semini , Collegae Exoptatissimi , atque  
Eruditionis gloria conspicui Viri , me  
Juvenem operis confortem vobis ad-  
signatum , placidis ac benevolis , quae-  
so , animis in honoratissimum vestrum  
ordinem recipite. Id vero persuasum  
vobis habeatis oro , quod ficuti nihil  
mihi jucundius ac gratius accidere  
potest , quam quod vestrae societati  
ac collegio adscriptus sum , ita nihil  
etiam mihi optabilius ac luctulentius  
evenire poterit , quam si amicitia ac  
conjunctione vestra uti ac frui porro  
mihi contingat ; eam enim ut mihi  
conservare ac stabilire possim , omni-  
bus humanitatis ac candoris officiis e-  
niti contendam , modo vos me erudi-  
tione , aetate , ac rerum experientia  
multo vobis inferiorem mutuo bene-  
voli animi affectu complecti , & pru-  
dentia ac consiliis vestris regere & ad-

juvare non aversemisi. Ad me quod adtinet, ex animi mei sententia, coram hac Auditorum frequentia, vobis declaro, me procul ab omni simultatis, quam a Collegis longe exulare oportet, cogitatione ad vos accedere: Quemadmodum enim omnium scientiarum individua est cognatio ac societas, ita inter illarum quoque Professores animorum conjunctionem intercedere decet. Vos igitur obtestor, nihil ad vitae amoenitatem ac studiorum tranquillitatem magis mihi in votis esse, quam ut cum omnibus vestrum amicitiam & concordiam non interrupto tenore exercere, quin & cum singulis quoque, si eadem vobis sedet sententia, usum ac familiaritatem colere liceat. Illae enim literae, quas profitendas in me suscepi, cum ab humanitate nomen habeant, efficere etiam tentabo, ut vitae meae magistrae sint, ac studia in mores abeant, operam

ram dare conabor. Id vero ne speciosis tantum verbis jactasse vobis videar, re ipsa potius repraesentare studebo.

Ad vos tandem, lectissima Academicae Juventutis corona, sermonem lubentissime converto, in quorum commoda tota haec res agitur. Cum vero, ut egregium est Attali apud Romanum Philosophum dictum, *idem & docenti & discenti debeat esse propositum, ut ille prodeesse velit, hic vero proficere,* ita vos de me statuatis ac judicetis quaeso, me omnem aetatis meae florrem ac vires unice vestrorum studiorum emolumento consecrare ac devovere decrevisse, & nihil umquam me omissurum, quo de vobis bene merendi studiosissimum me praestare possim; id enim unicum est, quo meum vobis officium commendare possum, me sine ulla intermissione omnem operam & laborem in vestris utilitatibus inpen-

dere constituisse , modo vos ea qua  
par est adsiduitate ac diligentia in stu-  
diis severa lege proficere non omittas,  
& ad Doctrinae penetralia per re-  
gium & a summis Viris calcatum tra-  
mitem labore indefesso contendatis.  
Me vero hoc in itinere qualemcumque  
Ducem, aut si ita mavultis, Comitem  
recipite , qui viam a Praeceptoribus  
mihi monstratam vobis aperire , quan-  
tum in me erit , numquam desinam ;  
& quamvis tot Eruditissimorum ac Ce-  
leberrimorum Virorum opera atque in-  
stitutione inbui vobis contingat , a  
quibus omnibus sicut ingenio ac do-  
ctrina longe me vinci fateor , ita nihil  
intermittam , quo saltem industriam , &  
adsiduum vos demerendi studium si  
non superare , saltem aequare valeam ,  
eumque Literarum elegantiorum amo-  
rem ac gustum vobis inspirem , ut prae-  
via hac humanioris discipline exerci-  
tatione praeparati , dotes ac vires in-  
genii

genii deinde in gravioribus scientiis ac doctrinis latius explicare, & ita Patriae atque Ecclesiae necessarii & utiles ci-  
ves evadere possitis.

Quod supereft, Deum Opt. Max. cuius nutu & arbitrio res humanae ge-  
runtur, ac felicem fortiuntur eventum, finceris precibus supplices veneramur, ut Celsissimum Nassavium PRINCI-  
PEM, & Patriae nostrae Patres, ac Palladii hujus Maecenates, in commu-  
ne Publicae ac Literariae rei commo-  
dum diu sospites ac superstites servare  
velit, & ut hoc bonae Mentis ac Sa-  
pientiae sacrarium celebritate & splen-  
dore magis ac magis florere, & non tam incondita ac vasta gregariorum  
turba, quam lectissima primipilorum  
cohorte vigere jubeat, & ut illorum,  
quorum curae studiosa Juventus com-  
missa est, labores ac vigilias porro fru-  
ctuosas & utiles reddere dignetur,  
vovemus: ut ita ex ludo hoc Litera-  
rio,

rio, veluti ex equo Trojano, multi egregii ac periti prodeant Athletae, qui vires in hac palaestra paratas & firmatas, deinde in Patriae, Ecclesiae, & Academiae decus & emolumentum exferant, & profligata Barbarie honestissimarum Artium studia innumerabilibus seculis ad ultimos producant nepotes.

## D I X I.



VIRO

VIRO CLARISSIMO  
PETRO BURMANNO  
FRANC. FIL. FRANC. NEP.

*Cum ordinariam Humaniorum Literarum Professionem in Franequerna Academia auspicaretur.*



QUAMQUAM Pierio devertat rarius antro,  
Exsultans aliis nostra Thalia locis:  
Nunc tamen haud aberit paucos decerpere  
flores,  
Quis decoret Petri tempora docta mei.  
Et nuper volui festae comes ire catervae,  
Ac plaudente manu verba diserta sequi.  
Sed Boreas, Zephyro regnum cessisse reluctans,  
Terruit infirmae ducere vela ratis.  
Nec tamen illa tui latuit nos scena choragi,  
Quantus & inplerit pulpita quassa sonor!  
Cum Critice, defensa tibi, potuisse negavit  
Aethereo pro se dignius ore loqui:  
Livor & in tenebras, tabentia pectora tundens,  
Abdidit invisum crine jacente caput.

O

Haec

Haec non humanae facundia debita curae :  
     Sidereo veniunt talia dona polo.  
 Spiritus hic idem mentes adflarat Avitas ,  
     Et contacta tui moverat ora Patris.  
 Eloquii vires alius paret arte magistra :  
     Cognata est generi lingua diserta tuo.  
 Cur Panacea tamen placuit de Fratribus uni :  
     Alter Atlantiadum ditia poma legit :  
 Huic Proavum ritu praefertur mystica cedrus ,  
     Cedrus Idumaeis luxuriata jugis :  
 Sola tuos oculos potuit convertere laurus ,  
     Cujus ab Aoniis collibus umbra cadit ?  
 Non ego , fortuna mortalia fata trahente ,  
     Haec animis demens addita jura putem.  
 Ille tuus Patruus , nisi si Pater aequius audit ,  
     Qui genus in fratri corda paterna tulit ,  
         Singula dispiciens naturae semina , vidi  
         Quae seges uberior quoque veniret agro.  
 Ille tuum pueri Musarum cultibus aptum  
     Pectus Apollineis fovit amicus aquis :  
 Providus & bijugi monstravit in ardua Pindi ,  
     Quod non fallaci tramite tendat , iter.  
 Et miramur adhuc passu te paene virili  
     A teneris salebras exsuperasse jugi !  
 Quid non mens educata potest penetralibus illis ,
     Ad fidue

Adsidue Phoebus , quaeque Minerva colit !  
**Quid nequit exemplar laudis gentile decorae ,**  
     Cum bene nata semel gloria corda subit !  
**Franeca ter felix , & doctis cara Deabus ,**  
     Quae pleno frueris robore prima viri !  
**Adspice, quae juvenum praeeuntem turba sequatur ,**  
     Dum de Barbarie certa tropaea petit.  
**Adspice , quam trepido ruat Ignorantia paſſu ,**  
     Quaqua victrices explicat ille manus :  
**Graeciaque & Latium laurus gratetur adeptas ,**  
     Quaeque artes veteres gens ubicumque colit.  
**Floruit ut palmes , messis bene crevit in herba ,**  
     Pagus , Iō felix , concinit , annus erit.  
**Nos quoque , sed certo magis alite , ducimus omen .**  
     Praeteriti veniens pignora tempus habet.  
**Increpuit livor casso stridore procellas :**  
     Labitur en vento nunc tua prora suo.  
**Sarcina , Petre , tamen , spes de te justa bonorum ,**  
     Promeritusque favor , vertice quanta sedet !  
**Nunc opus ille tuus mentis vigor : illa juventus**  
     Vivida pertentans membra calore suo.  
**Nunc tua sufficiat rerum constantia moli ,**  
     Vincat & ingenui cuncta laboris amor.  
**Nec Patruum Musae , nisi post ingentia facta ,**  
     Principe Doctorum constituere loco.

JACOBUS PHILIPPUS D'ORVILLE.

P E T R U S D' O R V I L L E  
*V I R O C L A R I S S I M O*  
**P E T R O B U R M A N N O**  
 FRANC. FIL. FRANC. NEP.

*Literarum Humaniorum Professionem,  
 in Academia Franequerensi,  
 auspicanti. S.*



Ua, Burmanne, precor, longum potiare,  
 salutem

Amstelia mittit Petrus ab urbe tuus.

Quid tamen? an simulac dempsisti vincula chartae,  
 Grata fuit digitis litera scripta meis?

Tardior & quamquam, sacrae nunc denique luci  
 Debita portantis verba probata via est?

An, quamvis gratata novos venisset honores,  
 Dixisti increpitans, cur ita serra venit?

Scilicet officii si quis non prima capessat  
 Tempora, dilati gratia multa perit.

Quam nunc aequoribus distarent moenia longis  
 Amstelio cuperem Franequerana solo,

In pelago saltem dubio, ventove vetante

Culpa

Culpa retardatae posset ut esse viae.  
 Parce tamen socii pectus, Burmanne, fidele  
 Criminis ob longas insimulare moras.  
 Non etenim semper, tua quae pulcherrima fors est,  
 Respondet precibus Musa vocata meis.  
 Sive ita nascenti triplices cecinere Sorores,  
 Difficili nentes stamina nostra manu.  
 Seu vitae ratio est, quae Majae plurima nato  
 Cogit, at Aonis in tempora parca dare.  
 Quam Mercatura male cum Tritonide docta  
 Convenit, aut Phoebo Numinibusque novem.  
 Nam quoties positis rationum, Petre, libellis  
 Pegasidum volui sacra litare focis.  
 Saepe, novos titulos age jam gratemur amico,  
 Ipse mihi dixi, conspicuumque decus,  
 Ac cishara sumta tentavi condere carmen,  
 Burmannum posset quale decere meum.  
 Quin etiam (memini) latum celebrata per orbem  
 Mens fuerat gentis dicere facta tuae.  
 Et Franciscus Avus jam, Francisciisque Parentis  
 Magna sonaturo nomen in ore fuit.  
 Nunc ad se totum rapiebat Patruus ingens,  
 Cui merito adsurgit doctus ubique chorus.  
 Quem Pallas Leidana decus, columenque fatetur,  
 Exoptatque diu possit ut esse, suum.

Tuque, Patris tanti suboles generosa, subibas  
 Trajectinorum splendor, amore, patrum.  
 Nec minus & Fratrum par nobile, Petre, tuorum  
 Ardor erat merita ferre sub astra lyra.  
 Quorum Paeoniis perfectus in artibus alter,  
 Christicolum curam sedulus alter agit.  
 O utinam! nostro sivissent vivere voto  
 Fata, procul curis, Mercurioque procul,  
 Et choreis Heliconiadum, Phoebique dedissent,  
 Deliciis nostris, implicuisse manum.  
 Hinc mihi vidisses Heroum surgere carmen,  
 Materiae numero conveniente suae.  
 Hos inter quoque te posuisssem nobile fidus;  
 Ingeniique forent cognita dona tui.  
 Per me sciretur, vidit de matre cadentem  
 Protinus ut placido lumine trina Charis.  
 Phoebus ut Aonis in de te mandata ferebat,  
 Ora Caballino tinguere fonte jubens.  
 Utque sacra lavit, lotumque fideliter, unda,  
 Excepit roseo Calliopea sinu:  
 Et laurus hederasque inter requiescere fecit,  
 Festa ubi Pieridum cantibus antra sonant.  
 Nil igitur mirum, si mox adoleverit ille  
 Carminis, a teneris tam bene coeptus, amor:  
 Si tibi, Musa quibus toties ea paverat ante,

Dulcia nectareis roribus ora fluant.  
 Ut fors, addiderim, primo minus aequa licebit  
     Ante diem rapiens cum genetrice Patrem,  
 Nutrirī dedit in Patrui penetralibus altis,  
     Praeterita emendans munere facta novo.  
 Est adeo multum, doctis adsuescere curis,  
     Et meritae puerum laudis amore capi.  
 Talibus auspiciis igitur penetrare recessus  
     Historiae tibi fas, eloquique, fuit.  
 Contigit & cani ritus cognoscere secli,  
     Et Critics fausto templa subire pede.  
 Ter quater o felix, licuit cui cernere tanti  
     Coram, quae referas, inclyta facta Viri.  
 Hinc tamen ingenio sedisse haud ultima credo  
     Tot de Barbarie parta tropaea fera.  
 Et tibi mature subiit quoque culmina Pindi,  
     Et valida Musas adseruisse manu.  
 Grande rudimentum doctrinae mittere in hostes  
     Tela, sacri belli primaque signa dare.  
 Quid jam quid frustra fugis Ignorantia, quidve  
     Speluncis properas abdere turpe caput.  
 Quin Burmannorum nomen fatale tremiscens  
     Inpia jam pedibus colla premenda para.  
 Ut, veluti nomen quondam titulosque perennes  
     Africa Scipiadae sub juga missa dedit,

Sic quoque tu genti Burmannae , pessima , nomen  
     Debellata feras , perpetuumque decus.  
 Ominor , eveniet. plausis Victoria pennis  
     Ipsa dat augurii prospera signa rati.  
 Ecce abitum cari Weslingiâ Frisia Pallas  
     Flens sedet inmissis uda per ora comis ,  
 Moestaque confusis tundens modo pectora palmis ,  
     Ecquis erit , clamat , qui mala nostra levet.  
 Lucida me miseram ! quo se cito condidit axe  
     Splendebat nostro quae modo stella polo.  
 Attamen haud fueram secura , mihiique timebam ,  
     (Nec vanus , cuperem quod , fuit ille metus )  
 Cum Trajectensi virtus Dukera Lyceo  
     Ulterius solitam ferre negavit opem ,  
 Et , procul a turba , senio suadente quietos  
     Constituit solo ducere rure dies.  
 Si quid nostra tamen valuissent vota , careret  
     Dukero jam non in mea damna suo.  
 Ipse quoque exutus senio , nervisque refectis ,  
     Ferre foret magnum quamlibet aptus onus .  
 Sed quid ego ad surdas nequidquam conqueror  
     aures ,  
     Et facio rapidis verba ferenda Notis .  
 Invida Trajectum , nostra quae clade superbis ,  
     Dic , tantum rapias quo mihi jure decus .

An,

An, quod clarus erat meritis Weslingius heros,  
 Caussa sat apta, tibi cur spoliarer ego.  
 At si jam non te, Superos mea damna movebunt.  
 Dī facite o! maneam ne spoliata diu.  
 Sed bene habet, tetigere preces pia numina justae.  
 Gratulor hoc, Pallas Franequerana, tibi.  
 Burmannus lacrimas meus en jam terget ab ore,  
 Vulneraque optata facta levabit ope.  
 Illius haud usquam deerit tibi vivida virtus;  
 Dum gestit juvenis munus obire viri.  
 Non secus in Solem primis se nixibus ales  
 Tollit, si qua geret tela trisulca Jovis,  
 Inmotisque oculis radiantem sustinet orbem,  
 Adsumens animos a propiore Deo.  
 Haec ego conabar, (recolo) dulcissime rerum,  
 Pluraque Maeonia dicere, Petre, tuba.  
 Sed mihi Mercurius quoties non sedulus aures  
 Vellit, propositum praepediitque pium.  
 Et vix hos elegos humiles permisit iniquus  
 Saepe interrupta deproperare manu:  
 Nunc etiam ceris, ad te qui perferet istas,  
 Nauta jubet finem ponere. Petre, Vale.

*Dabam Amstelodami*

*d. viii. Maji cī cī cc xxxvi.*

Q

VIRO

# VIRO CLARISSIMO PETRO BURMANNO

FRANC. FIL. FRANC. NEP.

*F. U. D. Et in Illustri Franequerana Friesorum  
Academia Humaniorum Scientiarum Pro-  
fessori sollemniter inaugurato.*



Barbaries quondam nostrum dominata per  
orbem  
Expulerat Batava Pallada sede furens.  
Illa fugit, Clariumque Deum, Clariasque Sorores  
Et Suadam & Charites gaudet adesse sibi.  
Nec Dea moesta rigat lacrimis muliebriter ora,  
Nec manibus plangit victa dolore sinus.  
Plena sed ingenio fugat attras pectore curas,  
Consiliumque sibi promta suisque videt.  
Nos licet ejiciat, comites, ait, undique, quamvis  
Barbaries colitur sede domoque mea.  
Numina honore suo mea quamvis nullus adoret,  
Igne licet careant ara focique pio.  
Inminet illa dies, qua, sumtis fortiter armis,  
Barbariem sternet clara caterva rudem.

Dexte-

Dexteraque Heinsiadum vos, o cultissima Pindi  
 Numa, in Hollandos docta reducet agros.  
 Ne tamen auxilium mortalis turpe putetis,  
 Herculeam petiit Jupiter altus opem.  
 Scitis, ut hic domuit saevissima monstra Gigantas,  
 Nec fuit opprobrio sic superasse Jovi.  
 Perpetuo Heinsiadas Heroes ordine multi  
 Excipient, nostrae cura fidesque rei.  
 Graevius, humanas quo non humanior artes  
 Tradidit, hos inter conspiciendus erit.  
 Graevius, ingenii Trajectum lumine clarans,  
 Formabit magnos perpolietque viros.  
 Cernet & hic Natum, sed, proh dolor! ille Juventae  
 Limine cogetur mortis acerba pati.  
 Sed Pater orbatus Burmanno damna rependet,  
 Vindice quo Critices rite vigebit honos.  
 Maximus ingenio Burmannus, maximus arte,  
 A Phoebo in Batava sede secundus erit.  
 Ille Sacerdotem faciet mihi rite Nepotem,  
 Ille Nepos clarae dos erit inde togae.  
 Ille Nepos, Patruo justo decoratus honore,  
 Par erit ingenii nobilitate sui.  
 Vera Deam dixisse patet, doctissime rerum,  
 Burmanne, Aonii cura salusque chori.  
 Cui sua jam Frifiae commendant fata Camenae,

Restituuntque sibi , quo veniente , decus.  
 Ut calet, ut plenum est, populo mirante, Lyceum !  
 Ambrosios fundit dum tua lingua sonos.  
 Dum tua Romanae se tinguens nectare Suadae  
     Eloquio Pitho pectora culta movet.  
 O ego quam felix ! haec qui felicia vivo  
     Tempora , te sociat quis mihi , Petre , fides.  
 Laetor honoratum tam pulchre cernere amicum ,  
     Quem mihi sincerus tam bene jungit amor.  
 Sed tu praecipue Phoebeia regia tellus  
     Frisica felici gaudia fronte geras.  
 Frisia tolle caput Burmanno cive beata ,  
     Qui tibi Pierides conciliare queat.  
 Excipe Burmannum gratanti voce manuque  
     Frisia , tam clari nomine laeta viri.  
 Qui Latium novit , qui doctas novit Athenas ,  
     Ausonias cuius Suada reducet opes.  
 Ne mirere tamen juveniles ferre lacertos ,  
     Quod validas vires frangere posset , onus.  
 Burmanni ingeniis namque aemula fama vetustis  
     Surgit utramque domum Solis adire parans.  
 Ne Burmannorum timide quis computet annos ,  
     Doctrina his etenim contigit ante diem.  
 Frisia , Burmannus celebres clarabit Athenas ,  
     Et docili pubi commoda cuncta feret.

Sive velit veteres annales volvere mundi,  
 Historici munus promptus obire parat.  
 Per tenebras nulli vereantur perque salebras  
 Ferre pedem, dubiam dux reget ille viam.  
 Sive tuam capiant Romae monumenta juventam,  
 Rudera de latebris eruet ille suis.  
 Seu rapitur Juvenis Ciceronis nectare culti,  
 Plena ministrabit pocula docta manus.  
 Numine seu quis avet Phoebeo pectora plenus  
 Castaliae sacrum ducere nectar aquae.  
 Tura foco Musis, illo faciente, cremabit,  
 Orgia Phoebei diriget ille chori.  
 Et quandoque gravis curae filuere laboris,  
 Mulcebit Dryades Nereidesque tuas.  
 Denique Burmannus doctrinae dives & artis  
 Barbariem in terris non sinet esse tuis.  
 Sive supercilium stolidorum triste minetur,  
 Sive quis indocta garrulitate furit.  
 Perge bonis avibus tutari moenia Phoebi,  
 Sentiat officium Frisia, Petre, tuum!  
 Sic quoque jam Patruus primis aetatis in annis  
 Barbariae felix contudit arma ferae.

GERRARDUS SCHRÓDER.

A E N

DEN HOOOGGELEERDEN HEERE  
**M<sup>R.</sup> PETRUS BURMAN**

Toen zyn Ed. tot Hoogleeraer der Historien, Welsprekentheit en Talen in de Academie van Franiker beroepen  
 zynde, van Amsterdam vertrok.



*Loe langzaem Amstelstroom, geboomt beweeg geen blaen,  
 Zwygt, Filomelen, zwygt, en past my niet te storen,  
 Ik heb voor mynen Burman aen,  
 Hy moet voor zyn vertrek myn laeste zang nog hooren.  
 Al is zyn kies gehoor den goddelyken toon  
 Van Maro's gulde tier gewoon;  
 Al wort hem door de hant der Musen vaek geschenken  
 Van't zelve vocht, waer van voorheen  
 Propertius en Naso dronken;  
 Al mag hy, als 't hem lust, bet heilig wout betreen  
 Daar Febus dichters vormt, en leert de Citer streeten;  
 Nochtans zal hem geen Duitsch gezank,  
 Waer in de Vriendschap spreekt, mishagen noch verveelen,  
 Hy ziet op 't hart, niet op den klank.*

Gy gaet dan, brave Vrient, begunstigt door de Goden,  
 Gy gaet dan, trouwe Vrient, daer u de glory wacht:  
 Daer Vrieslants Grooten u om uwe kennis noden,  
 En treet dus op het spoor van uw beroemt geslacht?  
 De ware wetenschap kan't noit aan loon ontbreeken:  
 Partyschap heeft geen kragt, de bitze Nyt moet vlien:  
 Dit is, o vreugt, in u gebleeken,  
 Daar zyn noch oogen die verdiensten kunnen zien.

Gy hebt, o Nederlant geen ondergang te vreezen  
 Zoo lang gy dus de wysheit eert en mint:  
 Maer als Barbaersheit hulp en schuilplaets by u vindt  
 Dan zal uw val niet verre weezen.  
 Oud Rome bloeide en gaf aen't gansch heelal geboon  
 Toen zich Augustus zag bevestigt op den Throon,  
 De wyze Octavius, die geest en oordeel eerde,  
 De daretelheit en pracht door nutte wetten weerde.  
 Maer zints geleertheit zich van loon versteeken vont,  
 En Botheit met haer kroost de tomeloose Zeeden  
 Het hof der Vorsten mogt betreden  
 Ging't trotze ryk van uur tot uur te grond.  
 Wanneer hief Ruslants Vorst zyn roem tot aan de wolken,  
 En zag zich aengebeen door honderd nieuwe volken,  
 Die hem om stryt erkenden voor hun Heer,  
 Van't barre Noorden af tot aen't Meotis meer?  
 Was't niet na dat die Helt de wyze Zanggodinnen  
 Met open arm ontving, en teer begon te minnen?  
 En gy, myn Vaderlant, wanneer zaegt gy u vry  
 Van Spanje's fuk en wreede Tierany?

Wanneer moest d' Indus 't eerst voor uw vermoegen knielen,  
 En offren zynen schat aan uwe vlugge kielen?  
 't was in dien gouden tydt,  
 Toen gy de domheit hebt verbannen,  
 En Voester waert van zoo veel wyze mannen,  
 Om hun verstant gepreezen wyt en zyt.

Maer hoe waer wil dit been, waar toe dees hooge wyzen?  
 Myn yver dwaelt te ver, geef my een andre lier:  
 En laet ons Burmans aert, vernuft en oordeel prysen,  
 Die eedle Ziel moet straks van hier.  
 O ja, de braefste myner vrinden,  
 Die jaren lang myn vreugt en wellust is geweest,  
 My vaek verrukte door de grootheit van zyn geest,  
 Zal ik niet meer een myne zyde vinden.  
 Helaes, de nacht genaakt, en roept hem van dees rec,  
 De zeilen staen in top, hy mag niet langer beiden.  
 Welaen, noch eens omhelst, noch eens voor dat wy scheiden:  
 Hoe scheiden, neen o neen, myn ziel gaet met u mee,  
 Myn ziel gaet met u mee, zy zal u noit begeeven,  
 Want zonder u verveelt haer 't leeuen,  
 Want zonder u mishaegt haer 't Zonnelicht,  
 En... Maer o smart hy's reets uit ons gezicht.

HUBERT GREGORIUS VAN VRYHOFF.